

1311 sept. 18.

obsidione conclusit, ubi tantam rex idem virtutem corporum
bellatorum passim sibi accedentium aggregavit, quantam
in ulla historia legitur fuisse adunatam. In qua obsidione
multe hominum strages hostili exercitio sunt commisse;
in castris quoque ipsius regis grassante pestilentia multi
defecerunt, inter quos Wlramus frater ipsius regis, comes
Lutzelburg, vir magne probitatis, est defunctus. Tandem
post multos¹⁾ menses obsidionis data civitate deficiente
et in deditionem regis tradita idem rex ultionem debi-
tam rebellionis rependens muros ipsius civitatis ad rui-
nam detraxit et fossata eiusdem complanavit, et sic
victor inde ad ulteriora consurgens, perterritis ex adventu
suo et prosperis in principio actis rei publice rebellibus
ad urbem Romam gloriosus accessit, ubi per imposi-
tionem quorundam cardinalium per Clementem papam
quintum^{illuc,} propter hoc destinatum - nam dictus dominus
papa Clementis quintus cum sua curia tunc temporis
circa²⁾ alpes residebat - benedictionem et coronam im-
perialem accepit. Romani igitur alterius factionis, ut
assolent semper habituali, imperatore in urbe existente,¹⁶⁾
contra ipsam insurgentes tumultuoso impetu aliquos
de eius familia obtruncabant.³⁾ Sed hoc agens exercitus
imperatoris celeriter adunatus sumens arma Romanis fortiter
resistit⁴⁾ ex ipsis gladio plurimos prosternebat alios agnis
flagrantes submergendo. Quod quidem bellum per plures

1312 iun. 29.

1) multas cod. u) circa cod. v) obtruncabant cod. w) resistit cod.

16) Ipsa proelia iam ante coronationem habita sunt die 21. - 26. m. iunii.